EX GALENO.

C Lapathum moderatè digerentẽ facultatem habet, oxylapathum uerò miſtam: nam ſimul cum eo quod digerit, nõnihil quoq; reprimendi facultate participat. Semen eorum manifeſtam quandam adſtrictionẽ obtinet, adeò ut & dyſenterias, & alui profluuia ſanet, potiſſimum autem oxylapathi. Hippolapathon eaſdem dictis facultates obtinet, ſed imbecilliores.

EX PLINIO.

Sylueſtria Lapatha ſcorpionũ ictibus medentur, & ferire prohibent habentes. Radix aceto decocta ſi coletur, ſuccus dentibus auxiliatur: ſi uerò bibatur, morbo regio. Semen ſtomachi inextricabilia uitia ſanat. Hippolapathi radices priuatim ungues ſcabroſos detrahunt. Dyſentericos, ſemen duabus drachmis in uino potum, liberat. Oxylapathi ſemen lotum in aqua cœleſti, ſanguinem reiicientibus, adiecta acacia lentis magnitudine, prodeſt. Præſtantiſsimos paſtillos faciunt ex foliis & radice, addito nitro & iure exiguo. In uſu aceto diluunt. Sed ſatiuũ in epiphoris oculorum illinunt frontibus. Radice melicerias & lepras curant. In uino uerò decocta, ſtrumas & parotidas & calculos. Poto uino & lienes, cœliacos æque & dyſentericos & tenaſmos. Ad eademq; omnia efficacius ius Lapathi, & ructus facit, & urinã ciet, & oculorum caliginem diſcutit. Item pruritum corporis, in ſolia balnearũ additum, aut prius ipſum illitum ſine oleo. Firmat & cõmanducata dentes. Eadem decocta cum uino, ſiſtit aluum. Folia ſoluunt adiecto ſale.

APPENDIX.

Rhabarbari monachorum facultas.

Alterius generis Rumicis, qui Rhabarbarũ monachorũ uocatur, radix purgandi etiam uim obtinet, ſi in puluerem redacta drachmæ pondere ſumatur. Neq; id mirum admodum, cum etiam Dioſcorides ipſe omnium Rumicum olus decoctũ D aluum mollire, atq; decoctas eorundem radices cum uino, regio morbo correptos emendare, ob bilis nimirum per inferna eductionem, teſtetur.

DE LIMONIO. CAP. CLXXV.

NOMINA.

Beta ſylueſtris unde dicta.

Tintinabulum terræ.

Pyrola.

AEIMΩNION Græcis, Limonion, Beta ſylueſtris & Tintinabulum terræ Latinis, uulgo Pyrola, Germanis Wintergrün / Holtzmangolt / Waldtmangolt / oder Waldtköl appellatur. Beta autem ſylueſtris hęc herba dicta eſt, quod in ſyluis & locis muſcoſis, hortenſi Betæ primum erumpenti haud diſſimilis, proueniat. Tintinabulum, à floribus eius tintinabulo ſimilibus. Pyrola, quod eius folia arboris pyri folio ſimilia ſint.

FORMA.

Folia Betæ ſimilia habet, tenuiora tamen & minora, decem, aut plura. Caulem tenuem, rectum, lilio æqualem, ſemine rubro, guſtuq; adſtringente plenum. Ex qua ſiquidem deſcriptione abundè liquet, herbam quam uulgus Pyrolam uocat eſſe Limoniũ. Foliis enim Betæ ſimilis eſt, uerum tenuioribus & minoribus (legendum enim in Dioſcoride μικρότερα, & non μακρότερα, Plinio libro uigeſimo, capite octauo, teſte) decem, interim pluribus. Caule tenui, recto, lilio ſimili, pleno ſeminis rubri, quod guſtu adſtringit. Quibus accedit quod germanicè Waldtmangolt / id eſt, Beta ſylueſtris nominatur. Neque uires diſcrepant: adſtringit enim, uulneraria q herba eſt Pyrola, haud ſecus atque Limonium. Flores denique tintinabulo ſimiles ſunt, ut citra ullum diſcrimen Pyrolam Dioſcoridis eſſe Limonium aſſeuerare liceat.

LOCVS.

In umbroſis & ſylueſtribus prouenit locis.

TEMPVS.



LIMONIVM